

DXXXVIII.

LEMOVICEN.

Episcopus Lemovicen. sequentium dubiorum solutionem a Sac. Congregatione expostulat; nempe.

1.^o *An Confraternitates Sanctissimi Sacramenti, Ordinaria Auctoritate erectae, virtute Decreti Sac. Congregationis sub die 16 Februarii anni 1608 et Constitutionis Innocentii XI. « Injuncti nobis » anno 1678 sine ulla Aggregatione, vel nova Concessione fruuntur gratis omnibus, et Indulgentiis Archiconfraternitati, quae Romae est, concessis?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative ».

2.^o *Quaenam formula adhiberi debeat in communicatione Indulgentiarum concessarum Archiconfraternitatibus Romae erectis, quam communicationem idem Episcopus diversis Confraternitatibus in sua Dioecesi erectis, vel erigendis elargitur, auctoritate sibi ab Apostolica Sede per diversa Rescripta delegata, servatis tamen servandis juxta Constitutionem Clementis VIII? « Num necesse sit singulas Indulgentias nominatim communicare, et hoc agere cum interventu duorum de Capitulo? » Utrum defectus Statutorum, vel Officialium in dictis Confraternitatibus, tum et si in his eidem opera vel usus singulares adhibeantur non conformes illis quae in Archiconfraternitatibus Romae servantur, officiat id validae erectioni, vel Indulgentiarum communicationi?*

Sac. Congregatio respondit « Ad primam partem » nullam determinatam formulam praescriptam esse Episcopis Sodalitates erigentibus, sed tantum Ordinibus Regularibus juxta Clementis VIII. Constitutionem, proindeque Decretum solummodo Episcopi erigentis satis erit ad canonicam erectionem « Ad secundam partem » Negative « Ad tertiam partem » Negative, dummodo opera exerceantur, quibus adnexae sunt Indulgentiae.

3.^o *Cum Pareciae non distant invicem una leuca, si tamen sunt in separatis oppidis constitutae, poterunt erigi in ambabus Confraternitates eadem?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative, si agatur de Confraternitatibus Sanctissimi Corporis Christi; et de Doctrina Christiana, quae praeter Indulgentias hujusmodi Sodalitatibus a Paulo V concessas, singulari quoque privilegio gaudent, juxta Sac. Congregationis Decreta, quod nempe in singulis quoque Pareciis possint institui; Negative vero si agatur de Confraternitatibus in genere ».

4.^o *Confraternitates ab Episcopo auctoritate a S. Sede delegata erectae, fruuntur necne eadem bonorum operum, et orationum communione cum Archiconfraternitate, et iisdem privilegiis, et Indulgentiis ac illae, quae aggregatae ordinario more fuerunt?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative si agatur de Confraternitate SS. Corporis Christi; si vero de Doctrina Christiana, quoties in una Dioecesi aggregata est una istiusmodi Confraternitas, coeterae etiam erectae, aut erigendae, aggregatae censentur; Negative quoad alias Confraternitates in genere. » Ita declaravit Sac. Congr. Die 22. Augusti 1842.

DXXXIX.

BITURICEN.

Superior Minoris Seminarii Bituricensis gaudet facultate imponendi sacrum Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, ac adscribendi fideles, ea tamen conditione ut nomina eorum, qui huic Confraternitati sociantur, ad proximum Conventum ejusdem Ordinis mittantur, et nisi sit in Urbe Conventus ipsius Ordinis, cum in Urbe Bituricensi reperiatur Sodalitas Sororum Carmelitarum, quaerit 1.^o An facultate concessa uti possit in Urbe Bituricensi, ubi adest Sodalitas Sororum Carmelitarum? « 2.^o An sufficiat, ut nomina eorum qui hanc Confraternitatem ingrediuntur, ad Sodalitatem Carmelitarum Sororum dictae Civitatis mittantur? ».

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, tam ad primum, quam ad secundum dubium respondit « Affirmative ». Die 22 Augusti 1842.

DXL.

VIRDUNEN.

In concedendis Indulgentiis a S. Sede saepius requiritur, ut pie visitetur Ecclesia Parochialis, seu Oratorium publicum: quaeritur ergo utrum ad implendam hujusmodi conditionem, publicum sit censendum Oratorium sive in Monasteriis, sive in Seminariis, aut aliis Conventibus, canonice dedicatum, cui tamen christiana plebs publice non solet accedere? In hypothesi, quod negative respondeatur, rogat Episcopus Viridunensis, ut quodcumque ut supra Oratorium in sua Dioecesi existens, aut extitutum, visitari deinceps valeat ad Indulgentias lucrandas.

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, ad praefatum dubium respondit « Negative, ac propterea recurat in casibus » Ita Sac. Congreg. die 22 Augusti 1842.

DXLI.

INCERTI LOCI

Nonnulli Sacerdotes supplicarunt Sac. Congregationem declarari 1.º An qui habet facultatem erigendi Viam Crucis, benedictione Tabularum, et Crucium prius facta, teneatur ipse Tabulas collocare, et Stationes percurrere, ut valida sit erectio? Respondetur « Negative ».

2.º An benedictione Tabularum, et Crucium facta a Sacerdote legitime delegato, alter quicumque Tabulas collocare possit privatim sine ceremoniis, et etiam in alio tempore? Respondetur « Affirmative ».

3.º An quando in priorum Tabularum locum, aliae substituuntur, nova requiratur facultas illas benedicendi, et Viam Crucis erigendi? Respondetur « Negative, dummodo substitutio non sit majoris partis Crucium ».

4.º An mutatio Tabularum, et Crucium de loco in locum in eadem Ecclesia secum importat annihilationem Indulgentiarum Viae Crucis adnexarum? Respondetur « Negative quando

sit in eadem Ecclesia ». Ita declaravit Sac. Congregatio die 22 Augusti 1842 praemittendo dietis responsionibus, quod in erectione Viae Crucis benedicendae tantum sint Cruces, minime vero Tabulae, seu Picturae ».

DXLII.

CAENOMANEN.

In variis Galliarum Dioecibus, et specialiter in Dioecesi Caenomanensi permultae existunt Confraternitates SS. Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo, et SS. Cordis Jesu. Diversae illae Confraternitates ex speciali S. Sedis facultate ab Episcopis, cum brevi formula fuerunt erectae: nomina Confratrum et Consortorum in particularibus registris inscribuntur, sed ad Directorem Archiconfraternitatis non mittuntur, nec administratores pro unaquaque Confraternitate eliguntur. Caenomanensis Episcopus omnes fidelium anxietates praecavere, aut sedare volens, expostulat a Sac. Congregatione.

1.º An aliqua determinata formula necessaria fuerit sub poena nullitatis?

Sac. Congregatio respondit « Negative, quia formula praescribitur tantum pro erectione Sodalitatum a Regularibus peragenda ».

2.º An necesse sit sub eadem poena ut administratores eligantur?

Sac. Congregatio respondit « Negative, quia administratorum electio erit tantum ad bonum Sodalitatum regimen, minime vero ad validitatem erectionis necessaria ».

3.º An Episcopus designare possit Directorem uniuscujusque Confraternitatis suae Dioecesis sive jam existentis, sive ab ipso ex speciali Apostolica facultate erectae?

Sac. Congregatio respondit « Affirmative ».

4.º An Director ab Episcopo sic designatus, eo ipso Rosaria cum applicatione Indulgentiarum, et Scapularia benedicere, ac imponere possit?

Sac. Congregatio respondit « Negative, nisi in hujusmodi concessionibus facta sit mentio de facultate Rectoris pro tempore

tradenda pro Rosariorum, Coronarum, seu Scapularium benedictione». Die 18 Novembris 1842.

DXLIII.

CAMERACEN.

Idem Dubium ut supra sub num. 4.^o proposuit Vicarius Generalis Cameracensis; eademque responsio a Sac. Congregatione data fuit sub eadem die 18 Novembris 1842.

DXLIV.

BRIOCEN.

Vicarius Generalis Episcopi Briocensis implorata Sac. Congr. solutionem dubiorum, de quibus infra.

1.^o Qui obtinuit facultatem benedicendi Cruces, sacra Numismata, et Coronas precatorias cum applicatione Indulgentiarum, potestne ea facultate legitime uti coram publico, verbi gratia, in Ecclesia, vel Oratorio coram fidelibus inibi congregatis, et res benedicendas manu tenentibus, si in Indulto facultatis sit clausula «Privatim?»

Sac. Congregatio respondit «Negative».

2.^o Quando in Indulto existit clausula «In forma Ecclesiae consueta» sufficitne signum Crucis manu efformare super res benedicendas absque pronuntiatione verborum formulae Benedictionis, et sine aspersione aquae benedictae?»

Sac. Congregatio respondit «Affirmative».

3.^o Si necessaria est formula verborum, utrum sufficiat quaecumque formula modo ab Ordinario approbata, an necessario adhibenda sit formula Ritualis Romani?»

Sac. Congregatio respondit «Responsum in secundo».

4.^o Quando in Indulto facultatis non existit clausula «In forma Ecclesiae consueta,» sufficitne efformare manu signum Crucis super objecta benedicenda?»

Sac. Congregatio respondit pariter «Responsum in secundo». Ita declaravit Sac. Congreg. die 7 Januarii 1843.

DXLV.

RUTHENEN.

Superior Seminarii S. Petri Civitatis Ruthenensis expostulat a Sac. Congr. an Indultum Apostolicum quod specificat quasdam Indulgentias cuidam Sodalitati concessas, excludat alias Indulgentias non specificatas in praefato Indulto, quarum tamen mentionem faciunt nonnulli Auctores de Indulgentiis pertractantes?»

Sac. Congregatio respondit «Standum esse verbis Indulti, ex quo, si nulla sit expressa conditio, verbi gratia «dummodo nulla alia Indulgentia reperiatur concessa, aut similia etc.» eruitur firmas remanere singulas Indulgentias etiam praecedenti tempore elargitas, de quibus mentio quoque apud Auctores de Indulgentiis pertractantes». Ita Sac. Congreg. declaravit die 30 Januarii 1843.

DXLVI.

TORNACEN.

Pro parte J. Desquesnes Sacerdotis, et Canonici Honorarii Ecclesiae Cathedralis Tornacensis exponitur Sac. Congr., quod Confratres supplicem libellum obtulerint Summo Pontifici Pio VII san. me. qui per Rescriptum diei 18 Augusti 1818 dignatus est declarare Altare Privilegiatum etc. nulla facta mentione qualitatis Altaris, quod in supplici libello declaratum fuerat Portatile: Quidam inde sentiunt mentionem portatilitatis requiritum in supplici libello, tum in Rescripto; alii vero sufficere si in alterutro; quaeritur an requiratur dicta mentio in utroque?»

Sac. Congregatio censuit declarari «Constare de privilegio etiamsi mentio de Altaris portatilitate in supplici tantum libello sit expressa, minime vero in concessionis Rescripto». Die 31 Januarii 1843.

DXLVII.

CARNOTEN.

Moniales Carmelitae Urbis Carnotensis quaerunt a Sacra Congregatione utrum haec clausula facultati imponendi sac. Scapularia nonnumquam apposita, scilicet « Praesentibus valituris iis in locis, in quibus non adest Sacerdos Carmelita, aut Sodalitas ejusdem Ordinis canonice erecta » utrum, inquam, haec clausula obstet ne Sacerdotes praefata facultate gaudentes, sacra Scapularia in ipsamet Urbe Carnotensi, et in locis tribus milliaribus ab ea non distantibus valide imponant?

Sac. Congregatio respondit « Non obstare ». Die 3 Martii 1843.

DXLVIII.

NANCEJEN.

Episcopus Nancejensis exponit, quod anno 1835 Altare Majus Ecclesiae Parochialis de Bening Privilegiatum in perpetuum declaratum fuit: cum vero idem Altare marmoreum hodie constructum sit, supponitur quod privilegium peremptum sit, supplicatur hinc pro opportuna declaratione?

Sac. Congregatio respondit « Dummodo Altare sit iterum sub eodem titulo constructum, non amisisse Privilegium ab Apostolica Sede concessum ». Die 24 Aprilis 1843.

DXLIX.

SANCTI FLORI

Episcopus Sancti Flori exponit Sac. Congr. virtute Brevis Apostolici sibi concessi designasse in plurimis Dioecesis suae Parochialibus Ecclesiis privilegium ad Septennium unum Altare; Altare autem sic designatum erat portatile, et hujus qualitatis non est facta mentio in litteris designationis; quaerit hinc Episcopus Orator.

1.^o *Utrum virtute Brevis Apostolici praefati potuerit declarare privilegiata Altaria portabilia?*

Sac. Congregatio respondit « Negative ».

2.^o *Utrum ad validitatem concessionis debuerit exprimere in litteris concessionis qualitatem portatilis non memoratam in libello supplici a Parochis directo?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative ».

3.^o *Utrum possit defectum hunc si subest, sanare?*

Sac. Congregatio respondit « Supplicet Episcopus Orator pro opportuna sanatione ». Die 24 Aprilis 1843.

DL.

CARNOTEN.

Moniales Carmelitae in Urbe Carnotensi a Sac. Congregatione quaerunt.

1.^o *Utrum duo Cappellani, qui ipsis simul assignarentur, simul gauderent facultate sac. Scapulare imponendi?*

Sac. Congregatio respondit « Negative, nisi expresse facultas utriusque fuerit impertita ».

2.^o *Utrum, absentibus Cappellanis, quilibet Sacerdos, qui locum eorum suppleret, Sacrum Scapulare imponere possit?*

Sac. Congregatio respondit « Negative ». Die 24 Aprilis 1843.

DLI.

PINEROLIEN.

Episcopus Pineroliensis cupiens in sua Dioecesi Sodalitatem erigere sub titulo Immaculati Cordis Mariae pro conversione peccatorum cum omnibus Indulgentiis, quibus virtute Brevis diei 24 Aprilis 1838 ditata fuit ipsa Archisodalitas in Ecclesia B. M. V. de Victoriis Urbis Parisiensis, prae manibus habuit illius Archisodalitatis Statuta sub die 16 Decembris 1836 ab Archiepiscopo Parisiensi approbata; sed cum ad trutinam revocarentur omnia, atque perpenderentur hujus Pineroliensis Dioecesis circumstantiae, in quibus praedicta Statuta haud possent in integrum observari, dubium exortum fuit, num omnes horum Parisiensium Statutorum articuli necessarii, et essentialia essent ad lucrandas Indulgentias; hinc quaerit a Sacra Congregatione:

1.^o *Omnes ne et singuli articuli Parisiensium Statutorum sunt necessarii, et essentielles ad constituendam in suo esse hanc societatem pro lucrandis Indulgentiis eidem concessis?*

2.^o *Si non omnes, et singuli, quinam sunt ita essentielles, ut nullo modo variari possint?*

3.^o *Facultas ne facta fuit per citatum Apostolicum Breve Praeposito Ecclesiae B. M. V. de Victoriis determinandi Statuta, quae sic determinata sufficiant ad Indulgentias lucrandas?*

Sac. Congregatio respondit quoad primum « Negative, et dummodo Sodalitas canonicè erigatur, Sodalesque adimpleant Opera pro acquirendis Indulgentiis ab Apostolica Sede praescripta, varietas partialis, seu generalis Statutorum (quae ab Ordinariis respectivorum locorum pro diversitate temporum, et circumstantiarum erunt constituenda) non obest acquisitioni Indulgentiarum, ex eo quod Statuta sunt potius ad regimen, et ad rectam Sodalitatis administrationem data, minime vero tamquam injuncta opera ad Indulgentias lucrificandas; quod si tamen nonnulli Statutorum articuli aliqua peragenda opera Sodalibus proponant, quae ex Pontificia concessione ditata sint Indulgentiis, ipsi tamquam essentielles habendi sunt, ut nullo modo variari possint, ne tali spirituali emolumento Sodales sint fraudati.

Quoad secundum, et tertium « Responsum in primo ». Ita declaravit Sac. Congreg. die 12 Maji 1843.

DLII.

GRATIANOPOLITANA

Episcopus Gratianopolitanus licentiam obtinuit erigendi in sua Dioecesi plures Sodalitates, pium quoque Viae Crucis exercitium, nec non declarandi unum Altare privilegiatum in Ecclesiis parochialibus, ac denique Parochos deputandi pro impertienda Indulgentia Plenaria in Mortis Articulo: quaerit a Sac. Congregatione utrum duo Vicarii Generales (Titulares) ejusdem Episcopi, qui cum ipso unam personam moralem efficiunt, saltem quoad jurisdictionem ordinariam, uti fatentur

omnes, gaudeant facultatibus praedictis, scilicet Sodalitates erigendi, instituendi Viam Crucis, Altaria declarandi etc.?

Sac. Congregatio respondit « Indulta, seu facultates, de quibus in proposito Dubio, etsi non cedant in propriam Episcopi utilitatem, sed in gratiam Dioecesanorum, non sunt tamen de ordinaria sua potestate ad rectam, necessariamque animarum sibi commissarum administrationem ordinata, ita ut, eo absente, vel morbo laborante, sive nimis occupationibus impedito, vices pro eo alius gerat tamquam ab ipso legitime delegatus; sed cum sint potius favores, quos idem Episcopus ab Apostolica Sede personaliter impetraverit, tunc ab Episcopo tantum erunt fidelibus sibi creditis distribuendi, nisi in precibus Apostolicae Sedi delatis eos expostulasset iis verbis, aut similibus, nempe sive per se, vel per suos Vicarios Generales erigendi, communicandi etc. ». Ita Sac. Congreg. die 24 Maji 1843.

DLIII.

AUXIEN.

In Brevis Apostolico diei 28 Aprilis 1840 a Sede Apostolica concessa Archiepiscopo Auxisiensi pro facultate decorandi Altaria privilegio Apostolico in gratiam animarum defunctorum haec leguntur « Revocatis in eis (Ecclesiis Parochialibus, et Collegiatis) Privilegiatis Altaribus intuitu Pareciae, sive in perpetuum, sive ad tempus jam concessis, tibi, ut semel per teipsum in qualibet ex Parochialibus, et Collegiatis Ecclesiis hujusmodi unum dumtaxat Altare ad septennium proximum designare valeas etc. ». Unde quaeritur.

1.^o *Utrum vi verborum Revocatis in eis etc. omnia omnino Altaria privilegiata in quibuslibet Ecclesiis, privilegio sive perpetuo, sive ad tempus excidant, et sic privata privilegio remaneant usque dum Archiepiscopus praefatus denuo Altaria privilegio Apostolico decorare, et designare virtute Brevis praecitati designatus fuerit?*

Sac. Congregatio respondit ad primum « Negative ».

2.^o *An vero utrum vi eorundem verborum Revocatis in*

eis etc. priora Altaria Privilegiata cessent in eis tantum Ecclesiis in quibus praefatus Archiepiscopus denuo decoratum privilegio Altare designaverit virtute ejusdem Brevis praecitati?

Sac. Congregatio respondit ad secundum « Affirmative circa ea tamen Altaria, quae intuitu Pareciae privilegio decorata sunt ».

3.^o Utrum Altaria Privilegiata semper gaudeant privilegio antea concesso, quamdiu Archiepiscopus non fuerit usus facultate denuo decorandi hujusmodi Altaria privilegio Apostolico?

Sac. Congregatio respondit ad tertium « Affirmative ». Ita die 24 Maji 1843.

DLIV.

MONIALIUM vulgo OSPEDALIERE

Beatissimo Padre

La Superiora e Monache Ospedaliere delle tre case di Roma presso il Laterano, S. Giacomo in Augusta, e S. Gallicano espongono umilmente alla Santità Vostra che essendo il loro Istituto sprovisto del tesoro delle S. Indulgenze, e per l'assistenza che prestano alle inferme essendo impedito di potersi recare ne' luoghi ove si trovano concesse, supplicano umilmente Vostra Santità che si degni concedere tanto ad esse, quanto alle Novizie e Probande col visitare l'interna Cappella delle rispettive case alcune Indulgenze Plenarie, premessa la Confessione e Comunione, e preghiera secondo la mente di Vostra Santità, ed alcune Indulgenze Parziali, previa la contrizione del cuore. Le Indulgenze poi che implorano sono le seguenti:

Indulgenza Plenaria nel giorno della loro vestizione.

Plenaria nel giorno della loro professione.

Plenaria nel dì in cui o in publico, o in privato fanno la rinnovazione dei voti.

Plenaria ai 16 Maggio per la festa di Maria Santissima della Misericordia speciale protettrice del loro Istituto.

Plenaria una volta al mese nel giorno in cui ciascuna fa il ritiro spirituale.

Plenaria nella festa di S. Vincenzo de Paolis.

Plenaria nella festa di S. Camillo de Lellis.

Plenaria nella festa di S. Giovanni di Dio.

Plenaria nella festa del S. Cuore di Gesù.

Plenaria nella festa e sei Domeniche di S. Luigi Gonzaga.

Plenaria e Parziali nel giorno delle Stazioni descritte nel Messale Romano.

Plenaria in articulo mortis.

E finalmente Parziale di sessanta giorni per ogni opera pia, non che l'Indulgenza del Perdono d'Assisi.

Sanctissimus Dominus Noster Gregorius PP. XVI attentis expositis, supradictis Monialibus, coeterisque tantum de quibus in precibus, benigne concessit Indulgentias Plenarias et Partiales, prout in ipsis precibus enunciatis; servatis tamen singulis conditionibus, ut supra memoratis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secret. Sac. Congregationis Indulgentiarum die 21 Junii 1843.

G. CARD. FERRETTI PRAEF.

H. Ginnasi Secret.

DLV.

CONGREGATIONIS PRETIOSISSIMI SANGUINIS

Beatissimo Padre

I Missionarj della Congregazione del Preziosissimo Sangue per dilatare maggiormente la devozione al prezzo inestimabile di nostra salute supplicano la Santità Vostra della grazia, che ogni fedele cristiano possa godere le S. Indulgenze annesse alla Coroncina del Preziosissimo Sangue, recitando i trentatre Pater Noster, riflettendo ai Misterj, che in essa si propongono a considerare. Supplicano inoltre, che le persone idiote incapaci di tal considerazione possano godere le medesime Indulgenze con la sola recita dei trentatre Pater Noster, come benignamente accordò per il S. Rosario Benedetto XIII, e dichiarò nella Costituzione, Pretiosus § 4.